

Quellenwerk zur Entstehung der Schweizerischen Eidgenossenschaft, 9.Nr. 2

Omnibus fidelibus notum fieri volumus tam presentibus quam futuris, qualiter ego Atha et soror mea Chriemilt in omnipotentis dei nomine omnem hereditatem nostram dare optamus ad monasterium Lucernense pro remedio animarum nostrarum. Et quia nuper audivimus opinatissimum virum dei Wichardum in supradictum locum venisse et de redditibus suis monasterialibus muris reedificasse omnibusque bonis spiritualibus et carnalibus commodis renovasse, ideo libuit etiam nos omnes res nostras, quas in Chrientes habemus, ad eundem locum tradere, id est ab altitudine Fracti Montis usque ad Lacum et inde ad medietatem fluminis Rusae in omnibus utensilibus per circuitum, quicquid dici vel nominari potest, ex integro donamus monachis ibidem deo servientibus, ut in aevum teneant atque possideant sine ullius contradictione et, quicquid exinde pro oportunitate basilice sancti Leodegarii facere decreverint, libera potestate perfrauantur faciendi. Si quis vero istam traditionem destruere voluerit, quam nos filie Witeradae pari consensu facere decrevimus, nullatenus valeat perficere, quod inchoavit, et pro temeritate sua persolvat monasterio aliud duplum, quantum repetit, et insuper sit culpabilis in erarium regis auri untias iii, argenti libras xii. Actum est anno incarnationis domini nostri xlivi. in atrio sepeditae aeccliae coram advocate Wilhelmo et populi multitudine in dominica die in diebus Karoli imperatoris iii.